



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, 1680

39. Quando, & quomodo Inquisitores debeant procedere ad carcerationem
reorum; Et an vnus testimonium omni exceptione maioris sufficiat ad
carcerandum reum; Et quid est faciendum, si accusatus esset ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76372)

domini. Vnde eorum assensus neque de jure, neque de urbanitate requirendus est, sed solum in auxilium, ad quod præstandum, tenentur sub poena excommunicationis. Et idem dicendum est quoad dominos spirituales, saltem in Hispanica Inquisitione, quales sunt Episcopi & Inquisitores, quia iudex potest citare per proprium Nuncium, quando loca sunt sub eodem Præsidente: sed omnes Episcopi & Inquisitores sunt iudices delegati Pontificis, quia ratione ejusdem, & non alterius imperio subsunt: ergo, &c. Verum attempta practica Inquisitores Inquisitoribus & Episcopis in casibus occurrentibus litteras requisitorias mittere solent. Et hæc omnia docet Scaccia de iudic. lib. 1. cap. 2. §. num. 4. & 5. & ante illum Simanca in cathol. Instit. tit. 2. num. 13. & 14. Possunt igitur Inquisitores non solum verbaliter, sed etiam realiter citare, & mandare ut ad se transmittantur libri, & alia similia necessaria ad causam.

RESOL. XXXVII.

An si plures Inquisitores in una Provincia eligantur, possint independentes quilibet ab altero procedere? Et quid, si uni sit causa à Sede Apostolica delegata & deputata? Ex p. 4. tr. 8. Ref. 66.

§. 1. **A**ffirmativè respondet Michaël Zanardus in direct. Theolog. part. 2. cap. 6. quest. 12. Sigifmundus Scaccia de iudiciis lib. 1. cap. 67. num. 9. Io. Rojas singul. 27. à num. 3. Simanca de cathol. instit. tit. 34. num. 26. Eymericus in direct. Inquis. part. 3. quest. 46. & ibi Pegna comment. 95. Decian. in tract. crimin. lib. 5. cap. 12. n. 7. Molina de iustit. tom. 5. tract. 5. disp. 28. n. 9. & habetur in cap. ne aliqui, de heret. in 6. Dico igitur quod si in una provincia deputati fuerint plures Inquisitores, possunt ex speciali favore fidei omnes simul, vel singuli separatim prout eis magis expedire videbitur, contra hæreticos, vel de hæresi suspectos procedere, dummodo causa non sit uni à Sede Apostolica deputata: nam tunc per hanc specialem delegationem alij Inquisitores non possunt in illa causa se intromittere, sed debent ad eum transmittere depositiones quas forte contra delinquentem habent & examina testium, & indicia. Ita Doctores citati, & præsertim Zanardus, qui etiam addit, quod si unus Inquisitor seorsum procedat, si indiget auxilio alterius ad examinandum aliquem testem, vel ad faciendam aliquam perquisitionem in causa, tunc debet is per litteras suas hoc ei committere, & ipse ratione officij tenetur illud facere, & examen ad illum transmittere.

Sup. hoc in Ref. seq.

2. Verum omnia supradicta non procedunt in Hispania, ubi, ut observat Rojas singul. 27. n. 6. Inquisitores non possunt quando sunt præfentes, unus sine altero procedere ad capturam delinquentium, neque ad purgationem indicendam, neque ad publicationem testium, & à fortiori ad fulminandam sententiam & hoc stante Instructione Toletana, quam citat Rojas, unde in alia Instruct. hec in Sevilla 17. Junij anno 1500. num. 1. sic habetur. [Los Inquisidores de cada una Inquisicion salgan, y vayan à todos los lugares y villas de sus Diocesis donde nunca fueron personalmente, y en cada una de dichas villas, y lugares hagan, y reciban los testigos, y para que esto pueda mejor hazer, y mas brevemente se expida, se aparten los Inquisidores, y vaya cada uno por su parte con un Notario del secreto para recebir la dicha perquisita general se tornen à juntar en la dicha ciudad, o lugar donde tuviere su asiento, porque alli vista por ambos la testificacion que cada uno ha tomado puedan mandar prender a los que se hallaren culpados, y te-

stificados suficientemente para se poder prender segun se contiene en el Capitulo de las Instruciones hechas en Toledo.] Sic ibi.

3. Sed magis clarè hoc habetur. [En una carta de los Inquisidores Generales hecha en Granada à 4. de Septiembre anno 1499. à los Inquisidores de Barcelona,] ubi numero 1. ita determinatum est. [En cada Inquisicion aya dos Inquisidores, uno Jurista, y un Theologo, o dos Juristas los quales juntamente, y no el uno sin el otro procedan à captura y tormento con purgacion canonica, y sentencia definitiva, porque son cosas graves, en todas las otras pueden proceder el uno sin el otro, por mas breve expedicion de las cosas por la necesidad que se ocurre de se apartar el uno del otro para yr y andar por los lugares de los obispados a entender en las cosas del S. Oficio.] & ita de hac praxi sanctæ Inquisitionis Hispaniæ testatur etiam novissimè Ferdinandus de Castro in oper. mor. tom. 1. tr. 4. disp. punct. 12. §. 2. n. 14.

RESOL. XXXVIII.

An alter Inquisitor sine altero possit procedere ad capturam reorum, vel purgationem inducendam; aut ad publicationem testimoniorum, vel ad copiam actorum recedendam? Ex p. 4. tr. 8. Ref. 90.

§. 1. **R**espondeo negativè, & in Instruct. Toletana anno 1562. num. 3. sic statuitur. [Los Inquisidores vista la informacion juntamente y no el otro si estuvieren ambas presentes, acuerden la prision y purgacion seria mas justificada se comunicasse con los consultores de aquella Inquisicion si buenamente se pudiera hazer, y pareciere à los Inquisidores conveniente y necessario.] Sic ibi.

2. Vnde ad ornatum supradictæ Instructionis vide Simancam in cathol. instit. tit. 34. num. 37. ubi ita asserit: Neque potest alter Inquisitor sine altero procedere ad capturam reorum, neque ad purgationem inducendam, neque ad publicationem testimoniorum, neque ad copiam actorum reo dandam. Alia vero leviora ab altero tantum Inquisitore peragi possunt. Hoc tamen servandum est cum ambo Inquisitores præfentes sunt, nam altero absente, alter solus ea omnia facere potest, convocatis peritis, ubi opus fuerit. Hæc Simanca.

RESOL. XXXIX.

Quando, & quomodo Inquisitores debeant procedere ad carcerationem reorum? Et an unus testimonium omni exceptione majori sufficiat ad carcerandum reum? Et quid est faciendum, si accusatus esset Nobilis ac bonæ opinionis, & famæ? Et an etiam in causa hæresis Sacerdos non sit carcerandus ex unius testis delatione? Ex part. 4. tractatu 8. Refol. 11.

§. 1. **A**d hoc quæsumus ita respondet Dicit. Cautera in 99. crimin. cap. 1. de probat. per testes, quest. 1. num. 60. ubi sic ait: In crimine hæresis nunquam proceditur ad capturam, nisi sint sufficientia indicia ad torturam, & sic servatur in Inquisitionibus Hispaniæ. Ita ille, quod etiam servari in Inquisitionibus Italiæ testatur M. Antonius Genuen. in praxi Archiep. c. 68. n. 1. ubi sic asserit: Cum carceratio in causis sanctæ fidei irroget sæpe facti infamiam, nunquam Curia procedit ad capturam, nisi saltem ad sint indicia

ad torturam, & nonnunquam quando persona denunciata est gravis, antequam careret, solet injungere uni ex Consultoribus, ut secreto modo se informet à Parrocho denunciati, vel aliis personis fide dignis, quomodo ipse denunciatus ambulet in vita & moribus; rard autem procedit ad citationem verbalem, & quoad citat, non inserit in citatione causam delicti, ut in aliis citationibus fieri debet, sed in genere citat ad subiiciendum se examini super nonnullis moventibus mentem ipsius Curiae tangentibus sanctam fidem. Ita ille, & ideo Pegna in *directi. Inquis. p. 3. comment. 17.* asserit, quod ad ipsorum capturam plena delicti probatio, vel maxima indicia, aut vehementes suspiciones præcedere debent, nam ex levibus suspicionibus non est ad eam veniendum, ubi rei fuga non timeatur, & licet soli Inquisitores possint capturam decernere, securius tamen est maturo Consultorum consilio rem tantam aggredi, & ob delictum omnium gravissimum, & ob famam, quæ ob solam capturam non mercede læditur, & ideo in *Instruct. Tolet. an. 1561. n. 3.* sic habetur. [Los Inquisidores vista la informacion juntamente, y no el uno, sin el otro, si estuviere ambos presentes acuerden la prision, y parezca seria mas justificada se comunicasse con los consultores de aquella Inquisicion si buenamente se pudiera hazer, y pareciere a los Inquisidores conveniente y necessario, y asientese por auto lo que se acordare.] Sic ibi.

2. De hac autem re vide Zanardum in *directi. Theol. part. 3. cap. 83.* Scacciam de *judic. lib. 1. cap. 44. num. 4.* & 5. Boerium de *decis. 215. n. 34.* Simancam in *enchir. tit. 25. num. 2.* & Rojas de *hæret. part. 2. assert. 1. n. 22.* ubi docet unius testimonium omni exceptione majoris sufficere ad carcendum; scus si accusator esset nobilis ac bonæ opinionis, & famæ, nam in tali casu requiritur, ut plures adsint testes, vel indicia. Vnde aliqui docent, etiam in causa hæresis Sacerdotem non esse in carcendum ex unius testis delatione. Vide Acagnam *tract. de Confess. sollicit. q. 4. num. 27.* & Sigismundum Scacciam *lib. 1. cap. 44. n. 4. & 5.* Sed in casu occurrenti DD. Inquisitores considerabunt circumstantias, & qualitates testis, & rei.

RESOL. XL.

An Inquisitores in aliquo casu possint delegare examen testium? Ex p. 4. tr. 8. Ref. 29.

§. 1. Respondeo quod licet Inquisitores debeant ipsimet reos & testes examinare, tamen si testes essent legitime impediti, possunt eorum examen delegare alteri, secundum Scacciam de *judiciis lib. 1. cap. 87. num. 15.* & Simancam in *catol. instr. tit. 64. n. 11.* ubi n. 13. sic asserit. Illustres viri & alie honestiores feminae non sunt facile ab Inquisitoribus in judicium trahendi, sed vel ad has personas judices ire, vel certe alios mittere debent, quod quidem ex dignitate, autoritate, & honestate aliisque testium qualitatibus constituendum erit. Ita ille. Vide etiam Rojas *singul. 204. n. 7.* ubi sic ait. Testium examinationem Inquisitores alteri non committant, nisi in duobus casibus, videlicet quando testes legitime sunt impediti, & quando non decet ut Inquisitor ad eos accedat, & ideo in instructione Hispal. edita ab Alphonso Manriquez Cardinali n. 17. sic invenio determinatum. [Los Inquisidores por si mismos regiban y examinen los testigos y que no cometan la examinacion dellos al notario ni a otra persona, salvo si el testigo estuviere enfermo de tal enfermedad, que no puede pacerse ante el Inquisidor, y a Inquisidor no fuere honesto, y a recebir su dicho, o fuere impedido que en tal caso puede el In-

quisidor cometer la examinacion del testigo al juez ordinario Ecclesiastico del lugar, y a otra persona provida, y honesta que lo sepa bien examinar con un notario.] Sic ibi.

2. Vnde doctus Didacus Cantera in *quæst. crim. c. 2. de vera confessione, n. 8. fol. 77.* sic ait. In causis hæresis secundum juris dispositionem est prout per instructionem Hispalensem, quod Inquisitores per se ipsos examinent testes, & si ex justa causa contingerit committi alicui, ille qui examinat, faciat relationem Inquisitoribus de forma & modo quo talis testis deposuit. Hæc ille, ex quibus apparet Inquisitores alteri vices committere, si mulierem honestam non deceat domo exire ad testificandum, & ita etiam docet Castus Palas *tom. 1. tr. 4. disp. 8. punct. 15. §. 3. n. 1.*

RESOL. XLI.

Quos testes adhibere possunt Inquisitores in causa hæresis & qua fides ab ipsis habenda sit testibus inhabilibus, vel singularibus?

Et pro praxi supradictæ quæstionis 12. casus explanantur, & apponuntur in textu hujus Resolutionis. Ex p. 4. tr. 8. Ref. 57.

§. 1. Dico primò in causis fidei omnes præter inimicos capitales in testes admitti posse, ut excommunicati, criminosi, infames, loci criminum, ut patet in *c. in fidei favorem, de hæret. in 6.* Vnde etiam admittitur perjurus, ludæus adversus Christianum apostatantem, item hæreticus, domesticus, familiares, consanguinei, mulieres minor 14. annorum: unde excluditur tantum, ut dictum est, inimicus capitalis. Vide Gundissalvum de *hæret. q. 13. n. 10. & 12.* Pegnam in *directi. Inquis. p. 3. comment. 114. & comment. 119. p. 2. comment. 13.* Zecchium in *sum. tom. 1. tit. de fide c. 11. n. 14.* Simancam in *catol. instr. tit. 64. Rojas singul. 197. Mascardum lib. 2. concl. 762. n. 22.* & alios penes ipsos.

2. Dico secundò quod supradicti testes inhabiles admittantur sine tortura, & licet alie adsint probationes, vide Rojas *singul. 188. n. 6. & de hæret. p. 2. n. 153.* & alios relatos à Mascardo *lib. 2. concl. 87. n. 31.* cum Simanca *ubi supra, n. 37.* & Deciano in *tr. crimin. lib. 5. c. 35. n. 1.* Et hoc verum est non solum si procedatur per viam Inquisitionis, sed etiam per viam accusationis, quidquid in contrarium asserat Barbosa in *collect. tom. 3. lib. 5. tit. 2. c. 5. n. 8.*

3. Dico tertio hos testes non esse admittendos in hæretici defensionem, si ab ipso inducantur, quidquid asserat Gomez *tom. 3. var. c. 12. n. 13.* & alij. Sed nostram sententiam tenet Rojas *singul. 188. n. 9. & 10. de hæret. p. 2. n. 177.* Farinacius de *hæresi q. 188. num. 81.* & ego ipse *suprà.*

4. Limitatur tamen hæc opinio circa familiares, domesticos, & consanguineos, qui admitti possunt in favorem hæretici, non tanquam integri testes, sed tanquam testes diminuti, maxime si sint probata vitæ, & ita tenet Pegna in *directi. Inquis. p. 3. comment. 119.* Zecchius *ubi supra,* & alij. Verum negativam sententiam tenent plures, quos refert Mascardus de *probat. lib. 2. concl. 857. n. 24.* Crotus de *testibus, n. 105.* Farinac. de *hæresi q. 188. n. 149.* & alij.

5. Dico quarto supradictos testes inhabiles, criminolos, &c. non integrè delictum probare, ex quo fit duplice teste conteste, locis criminis, aut alias inhabilibus non posse reum ad penam ordinariam condemnari, etiam si indicia, & circumstantie concurrant, quibus præsumi potest veritatem deponere. Et ideo depositio unius testis inhabilis rard ad torturam sufficit, nisi aliis admipiculis & præsumptionibus gravibus adjuvetur.

Deposito

Sup. his testibus inf. in tr. 11. ref. 11. in principio, & in §. Notandum est in principio, & in §. Nota tertio, & §. penult. & ult. Sup. hoc pro teste excommunicato, supra in tr. 1. ex lata doctrina ref. 112. curissime in ejus lia. ult. & in tom. 2. tr. 6. ex doctrina ref. 92. §. 1. in fine, vers. Excipitur. Sup. hoc inf. in tr. 11. ref. 11. à liu. 6. Sup. hæc in ref. not. præteritæ §. Nota secundo.

Sup. ibidem §. Notandum est. Et pro familiaribus, domesticis, & consanguineis contentis in hoc §. limitatur, ibidem §. verum ad medium à vers. Hinc à fortiori.

Sup. contentis in hoc §. infra in tr. 11.